



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

19 Quaedam quaestiones generales super Pij V. constitutione diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

certum emuntur. Vnde fit, vt quemadmodum reliqui census in re certa, immobili, & fructifera constituuntur: ita etiam huiusmodi census debeat in re simili institui: & sicut illi census percipi perempta re, & intereunt in totum; vel ex parte, si res in totum, vel ex parte delinat esse fructifera; sic etiam idem iuris est in eiusmodi censu. Secundo dicendum videtur talem censum non esse in Republica permittendum; quia magnam usurae speciem habet, eo quod fors, & pecunia principalis ad certum tempus cum lucro redditur, quemadmodum contingit in mutuo usurario: & eo magis usurae imaginem & figuram refert, quo breuius est tempus, quo census finitur, & desinit. Tertio, non probo, quod quidam aiunt, vt Medina loco citato, huiusmodi censum emi posse minori pretio, quam sit tota summa pensionum soluendarum; quia centum; inquit, aurei praesentes pluris aestimantur, quam centum & decem aurei absentes. Certè, si haec ratio quidquam ponderis haberet, facile concludi posset, lucrum ex mutuo usurarium non esse, si plus valet pecunia praesens, quam absens. Pluris quidem aestimatur, fatetur, pecunia praesens, quam pecunia loco distans: sed proflus nego plus valere pecuniam praesentem, quam absentem tempore. Minus etiam probo eorum sententiam, vt Medina in sua *Instructioe Confess. lib. 1. cap. 14. §. 26. Bannes de Usuria in 2. 2. quest. 78. art. 8. de censib. dub. 4.* qui dicunt, ideo talem censum tuta conscientia emi minoris, quam valeat tota summa pensionum reddendarum, quia onus, inquit, sustinet emptor, qui vniuersam centum aureorum pecuniam dat, & tamen per partes recipit centum, & decem aureos. At pecunia centum aureorum, cum tota datur, commo dior, & fructuosior est, quam summa centum & decem aureorum paulatim soluta: R euerà pari ratione lucrum ex mutuo posset per partes diuisum recipi, quod est absurdum. Quare si praedictum censum fas est minoris emere, ideo est, quia est vera emptio, & venditio, & communi aestimatione ita est pretium taxatum, vt illud sit paulò minus, quam sit tota summa pensionum.

De ultimis conditionibus census.

CAPVT XVIII.

AD extremum Pontifex ait: [Cum vero traditione pretii census extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiare ei, cui pretium erit, & post denuntiam, infra annum tamen, etiam ab inuito, pretium repeti posse.]

Hoc locum habet cum venditor censum extinguit, reddito emptori pretio. Ceterum potest emptor centum alteri donare, vel testamento legare, vel cum alia re permutare, vel alio modo distrahere, & alienare: nam census annuus est quodammodo similis usufructui, quem quis habet in fundo alterius. Vnde quemadmodum usufructus multis modis amittitur, vt constat ex toto titulo *Digestorum, Quemadmodum usufructus amittitur, & Institut. de Usufructu §. ultimo*: sic etiam census multis modis finitur, vel alienatur. Ante bimestre venditor debet emptorem monere de pretio ipsi reddendo. Aequissima conditio, vt Dominus census sibi consulat, & decernat quid sibi factò opus sit de re sua. Quid si pretium accepere recuissset? Tunc debitor census publicè, & coram testibus pecuniam deponat, & de hoc creditorem moneat, & sic liberabitur ab obligatione soluendi censum, iuxta id quod habetur in *l. Accepit. C. de Usuris, vt explicat Baldus ibidem, & Menochius lib. 2. de Arbit. ind. casu 232.*

Tandem subiungit Pontifex: [Pacta etiam continentia pretium census extra casum praedictum ab inuito, aut ob penam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino

prohibemus. Contractus sub alia forma posthac celebrandos, sceleratius iudicamus.] Hoc nimirum addidit Pontifex, vt formulam praescriberet censuales contractus: forma autem dat esse rei. Baldus in *l. Iulianus. ff. Ad exhibendum*, vbi dicitur: [Mutata forma rei, substantiam petiti necesse est.]

Quaedam quaestiones generales super dicta Pij V. constitutione diluuntur.

CAPVT XIX.

PRIMO quaeritur, Quomodo in constitutione dicatur, Censuales contractus alter inuito pro sceleratius habendos: hoc enim si ita esset, inde fieret, vt etiam necessarè sint conditiones, vt contractus huiusmodi fiant coram testibus, & tabellione, & per syngrapham, siue scripturam ipsius tabellionis, & aliorum manu subscriptam? Respondeo, has conditiones requiri, non quidem secundum conscientiam, sed vt contractus censuales in iudicio vim, & locum habeat; quia, vt dixi superius, est solennis formula iuris scripti requisita, ad dolos, & fraudes tollendas.

Secundo quaeritur, An ceteræ conditiones vim habeant non solum in iudicio, sed etiam secundum conscientiam? Respondeo cum Nauarro in *commentario de Usuris, num. 106.* vim, & locum habere: quoniam tamen si singula non sint necessaria ex natura rei, iure tamen scripto, & Pontificio requiruntur; quia, vel usuram, vel speciem, occasionem, & periculum usurae habent, & leges iustae sunt, quæ prohibent malum, vel quod mali speciem, & faciem gerat.

Tertio quaeritur, An praedictæ conditiones sint vbique seruandæ? Respondet Nauarrus loco citato, esse seruandas, quatenus continent id, quod iuris naturalis, vel Diuini est: at quatenus nouo iure scripto aliquid prohibent, seruari debent, vbi ipsa est vsu recepta: quia leges vim obligandi non habent, nisi vsu recipiantur; vt colligitur ex *cap. in istis. §. Leges, distinct. 4. & ex l. De quibus. ff. de Legibus.* Nam Principum constitutiones, & leges ea conditione tacite feruntur, vt conscientias obligent, si illae fuerint vsu receptae, sin minus, non obligant. Felinus *cap. primo de Treuga, & pace, num. 12. & sequentibus.* Caldernum, Archidiaconum, Panoormitanum, Cardinalem, Imolam, & Dominicum sequutus: sic etiam Nauarrus *consil. 1. num. 23. de Constitutionibus.*

Quarto quaeritur, Cur Pius Quintus constitutionem edidit de censuali contractu? Siquidem Martinus Quintus, & Calixtus Tertius duas constitutiones de eodem contractu iam ante promulgauerant: & quare Calixtus Tertius id renouauit, quod praeeperat Martinus Quintus? siquidem nihil prorsus adieci. Respondeo, in constitutione Martini Quinti & Calixti Tertii, fuerunt octo tantum conditiones decretae, quæ in censibus requiruntur.

Prima erat, vt venditor certum praedium, domum, vel possessionem, vel alia stabilia bona assignet, in quibus census constituatur.

Secunda, vt res illa sola subiecta, & obligata sit censui, non alia bona venditoris, nec ipse venator.

Tertia, vt emptor iustum pretium soluat, videlicet, vt vnam marcham aurei emat decem, vnde decem, tredecim, vel quatuordecim marchas.

Quarta, vt statim emptor iustum pretium det venditori.

Quinta, vt liberum sit venditori censum redimere, vel in totum, vel ex parte, quando cuicunque voluerit.

Sexta, ne emptor obliget sibi venditorem ad extinguendum censum.

Septima, vt percunte fortuito re supposita censui, ipse quoque census finiat, & desinat.

Octava, vt res obligata censui tantum fructum reddat quotannis, quanta est annua pensio.

Has condiciones primum Martinus V. requisivit in censibus, quas deinde Calixtus Tertius renouavit, quia in dubium quidam vocare ceperant, an singula eorum essent necessariae.

Et quoniam inter scriptores post Martinum V. & Calixtum Tertium magna erat controuersia, vtrum istae condiciones omnino requirerentur ad censum: merito sane Pius Quintus declarauit, quid in hac re tenendum esset. Telle Ving. in tract. de censib. par. 2. num. 136. Natta Iuriconsultus in consil. 408. num. 19. & 20. ait, praedictas constitutiones Martini Quinti, & Calixti Tertij, aut nunquam editas à Pontificibus, aut nunquam promulgatas fuisse, aut saltem in dubium vocari posse, an fuerint editae, vel promulgatae. Sed certe hanc sententiam merito rebellet Virgilius. Primo quia in ipso iure communi continentur, vt not. in tit. de Emptione, & vend. inter Extravag. communes. Deinde, quia eas ad verbum, Doctores, qui sunt postea subsequuti, reculerunt, Conradus de Contract. quest. 87. Maior in 4. distict. 15. quest. 42. & ceteri Auctores eorum constitutionum meminerunt, Couarruias lib. 3. var. resol. cap. 7. Callaneus in catalogo Glorie mundi par. 12. considerat. 19. fallent. 15. Tiraquellus lib. 1. de Retract. §. 1. Glossa 6. num. 15. Sotus, Medina, & ceteri, qui de censibus tractant.

Fuit itidem quaestio inter Auctores, an octo istae condiciones, ita approbarentur à Martino Quinto, & Calixto Tertio, vt census aliter constitutus nihil momenti, & ponderis haberet. Nam Miranda in summa Conciliorum, & alij, quos deinde sequuti sunt Nauarrus, Ioan. Baptista Lupus, & Virgilius, senserunt, ita esse necessarias ad censum eiusmodi condiciones, non quidem ex natura rei omnes, & singulas, sed ex iure Pontificio in illis constitutionibus praescripto, vt census aliter institutus nullam vim haberet. At Conradus, Maior, Sotus, & Couarruias opinati sunt, Pontifices Martinum V. & Calixtum Tertium approbasse quidem censum emptionem, & venditionem, illas octo condiciones habentem, sed non condemnasse emptionem censum, si illis conditionibus careret. Et hinc est, vt illi Auctores census approbent aliter institutos, videlicet, creatos iuri naturali conuenienter, quamuis non iure Pontificio illatum constitutionem.

Ceterum Pius V. sua constitutione declarauit census aliter emptos, irritos esse, & inanes, tamquam fornicarios, ac ita sublata est omnis controuersia, quia Pius Quintus non solum constituit, vt seruarentur in censibus ea, quae Martinus Quintus, & Calixtus Tertius instituerant, sed etiam multa alia, quae ipse adiunxit, sine quibus nolit censualem contractum posse subsistere, nimirum in his censibus, qui instituantur, vt redimi, vel extinguantur à venditore queant: nam de his sermo est in Martini V. Calixti

III. & ipsius Pij V. constitutionibus.

Quaedam quaestiones de censibus dissoluantur.

CAPVT XX.

PRIMO quaeritur, An post Pij V. constitutionem, possit census fructuarius emi, qui in fructibus, scilicet, soluitur, non in pecunia? Respondeo posse, quia praedicta constitutio nihil de hoc censu definiuit.

Secundo quaeritur, An si census pecuniarius fuerit emptus,

possit fieri soluto in fructibus, siue rebus, non in pecunia? Respondeo, consensu emptoris, siue creditoris posse aliquid pro alio solui, non tamen eo iniuito. *l. Mutuum. §. Mutui datio. ff. de Reb. cred. Et l. Sise. §. Ait Praetor. ff. de Sent. Et iud. Et l. Promissor. §. vlt. ff. de Constit. pecun.* Fingamus igitur, Titium emisse à Caio censum annuum 50. aureorum, & deinde consensu Titij Caium soluisse quotannis 50. aureos, non in pecunia, sed in domo, quam locat ipsi Titio, & quae ex locatione solet quotannis reddere 50. aureos: licet est contractus, & Caius legitimam solutionem fecit. Sed quid si lapsu temporis domus ex locatione minores, maioresque redditus quotannis afferat? Respondeo, si reuera domus ex locatione annua incipiat reddere solum 25. aut 35. aureos propter pestem, vel bella, vel ob aliam causam, tunc Caius reliquum supplet debet aliunde, quia Titius censum annuum emi 50. aureorum: nec census est in domo constitutus, licet consensu ipsius Titij soluitur in fructibus domus: secus esset, si Titius emisset censum impostum in ipsa domo: tunc enim facta domo ex parte intrugera, ex parte censum amisisset. Hinc etiam est, vt si cursu temporis domus Caij locata Titio ex locatione annua plures fructus faciat, Caius solum Titio soluere debeat quotannis 50. aureos, & reliquum, quod superest ex locatione annua sibi iura conscientia retinet, quia Titio solum debetur annuus census 50. aureorum, & domus ex locatione annua reddit 60. aut 70. aureos.

Tertio quaeritur, An solui debeat fructus iuxta pretium, quod tempore, quo emptus est census, fructus valebat, an vero secundum aestimationem, quam fructus habet tempore solutionis? Nauarr. in comm. de Vfur. nu. 120. ait fructus esse soluendos iuxta aestimationem, quam habebant tempore emptionis census, siue postea crescat, siue minuat aestimatio fructuum, quod cetera merces sic emi, & vendi soleant: fructus vero eam aestimationem habere dicuntur, quam habuerunt per decem annos ante emptionem census, vno anno cum alio computato.

Quarto quaeritur, An Titius venditor census possit totum pretium, vel partem eius mutuum dare Caio amico, vel vicino suo, ea conditione, vt ipse Caius soluat censum annuum quem Titius soluebat Seio emptori census, donec ipse Caius reddat Titio pecuniam, qua erat censum redempturus? Nauarr. in comm. de Vfur. num. 115. negat posse, quia vitia peccatum Titius admittet: daret enim Caio mutuum pecuniam, eum sibi obligando ad annuum censum soluendum, quem ipse erat alioqui soluturus, & illa obligatio est pecunia aestimabilis. At verius est, quod affirmat Virg. par. 2. de cens. num. 28. Et 29. id posse facere Titium, tum quia id passim fit, & nemo condemnatum eam, quia Titius ea pecunia, quam Caio mutuum dat, erat redempturus censum annuum: ergo potest sibi Caium obligare ad soluendum censum annuum, donec eam pecuniam reddiderit: nam, qui percipit commodum, debet onus quoque sustinere: nec Titius vlllo iure compellitur eam pecuniam Caio mutuum absque vlllo onere dare, eo quod ex huiusmodi mutuo Titius damno afficitur: ergo non vi mutui, sed ratione damni eam obligationem exigit à

Caio, et tali onere imposto.